



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 V. fuerit conueniens Chirstum ad infernum desce[n]dere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Dubium.

Responsio.

D. Thom.

Richard.
D. Thom.
Scot.Inferni Si-
nus, & re-
fusus varij.Gregor.
Iob. 17.

Zachar. 9.

Statim verò occurrebat in hac enumeratione difficultas vulgaris de homine discedente in peccato originali, & actuali tantum veniali. Sed de hoc alias, multi enim negant posse hominem in hoc statu mori, vel quia ex natura rei repugnat in hoc statu esse, vt D. Tho. Prima secund. q. 89 art. 6. vel quia licet possit homo esse in hac vita in hoc statu, nunquam contingit in eo mori, Deo fortasse id specialiter providente. Alij verò admittendo huiusmodi statum etiam in anima separata, dicunt huiusmodi animam ad infimum locum inferni pertinere, quia perpetuo aliqua poena ignis puniunda est, vt Richard. in 4. d. 45. artic. 1. quaest. 2. vbi id significat D. Thom. facta dicta suppositione q. 1. art. 3. ad 6. Alij verò cum Scot. putant maculam illam posse purgari in purgatorio. De qua re quid sentiendum sit, in praedicto loco prima secundae tractandum est, & infra in materia de poenitentia aliquid attingemus.

Secundo obseruandum est, incertum esse, & haecenus non satis explicatum quo situ, & ordine haec loca collocentur: & an contigua sint, vel quantum inter se distent, & quibus terminis claudantur, ac denique an inter ea sint interiecta aliqua solida corpora, quibus secerantur. Sed quia in quarto tomo in materia de purgatorio iterum de his redibit sermo, ideo in eum locum haec omnia remittimus. Quia ferè praecipua difficultas huius rei consistit circa ordinem, quem inter se seruant Purgatorium & Limbus puerorum. Nam si consideretur conditio locorum, quatenus vnus requirit ignem, & non alius, videtur purgatorium debere esse inferno propinquius. Si vero spectetur dignitas locorum, quia in purgatorio sunt animae iustae, videntur esse debere in loco magis ab inferno remoto. De extremis vero locis nulla est difficultas: nam gehenna omnino debuit esse in loco infimo: tum propter maius demeritum, & deteriore statum personarum ibi existentium: tum etiam quia sicut meritis, & de desperatione maxime distant à beatitudine, ita etiam & loco distare debent. Quartus vero locus (de quo agimus) propter easdem causas superior alijs omnibus existimatur. Primum, quia animae ibi existentes erant iustae, & omnino mundae: deinde quia minus distabant ab statu, & spe beatitudinis: vt ergo seruetur proportio inter locum, & locum, meritumque & praemium, vel poenam, oportuit has animas in superiori, & honoratiori loco collocari, & hoc aliquo modo potest confirmari ex Luc. 16. vbi inter gehennam, & Sinum Abrahæ magnum chaos esse dicitur. Erat ergo hic Sinus multo eminentior & superior. Vnde Chrysostomus. homil. de diuite in Lucam, notat, Lucæ. 16. dici de diuite existente in inferno eleuasse oculos suos, vt Lazarum videret, tanquam in superiori loco existentem. Quod notauit etiam Tertull.

lib. 4. cont. Marcion. c. 34. & Gregor. libr. 12. moral. c. 6. sic inquit. Nec tamen ita iustorum animas ad infernum dicimus descendisse, vt in locis penalibus tenerentur: sed esse superiora inferni loca, esse & alia inferiora credenda sunt, vt & in superioribus iusti requiescent, & vt in inferioribus iniusti cruciantur. Et lib. 13. cap. 17. tractans illa verba, In profundissimum infernum descendunt omnia mea, dicit, quamuis Iob descensus non esset nisi ad hunc locum animarum sanctarum, qui ceteris locis inferni superior est: vocari tamen illum profundissimum, respectu cæli, & terræ. Ex his ergo satis probata est conclusio posita, plura verò de hoc loco inquirere, scilicet: quonam corpore repletur ille locus diaphano, vel opaco aere, vel terra, an esset tenebrosus vel lucidus, vel familia superuacaneum est hæc inuestigare. Quia omnia hæc sunt nobis incognita: solum possumus affirmare ibi non fuisse aliquod corpus, quod poenam inferret sanctis illis animabus, & verisimile est aere fuisse plenum, & propterea vocari Zachar. 9. Lacum, in quo non erat aqua. Est item verisimile non fuisse luci-

dum licet contrarium sine probatione doceat Turrian. libr. 4. pro Epist. Pontificijs ca. 12. Probari vero potest ex Augustino. 12. Gen. ad liter. c. 34. licet ille locus exponi possit de luce spirituali. Itaque loquendo proprie de corporea luce quod dixi, videtur probabilius. Tum quia modus loquendi Scripturæ hoc magis indicat, vt Iob 18. Si sustinueris, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Isai. 49. Vt diceret his, qui vñti sunt, Exite: & his, qui in tenebris sunt, Reuelamini. Quod de sanctis Patribus in Limbo existentibus recte intelligitur. Tum etiam quia naturaliter ibi esse non potest lux corporea, & supernaturaliter fieri, neque illis animabus necessarium erat, nec pro ratione sui status eius debebatur. Et hanc sententiam docuit Anselmus in elucidario iuxta finem, Bernard. sermone. 4. de omnibus Sanctis, & significat Gregor. super Iob loco citato, eamque supponit D. Thom. in 3. distinct. 22. quaest. 2. artic. 2. qu. 1. Ric. a. 3. q. 1.

Ex his facile soluitur ratio dubitandi in initio posita. Quando enim Luc. 16. Sinus Abrahæ ab inferno distinguitur, nomine inferni significatur gehenna, id est, infimus locus ex quatuor enumeratis. Ad Augustinum vero responderetur, eo loco dubium fuisse, quia nondum affectus fuerat veritatem: alij tamen locis agnouisse Sinum Abrahæ fuisse apud inferos quod dicit expresse 20. de Ciuit. c. 15. & in id Psalm. 85. Eduxisti animam meam ex inferno inferiori. Ad rationem autem, quæ aliquando Augustinum mouit, recte respondet hic D. Thom. art. 1. ad 1. infernum significare locum poenæ, & hoc modo etiam comprehendere Sinum Abrahæ, quia erat veluti carcer, & in eo aliquam poenam, & moerorem patiebantur animae sanctæ, vt diximus.

ARTICVLVS I.

Utrum fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere. Dicit enim Augustinus in Epist. ad Eudodium. nec ipsos quidem inferos respiciam scripturam in bono appellatos potius respicere. Sed anima Christi non descendit ad aliquod malum: quia nec anima iustorum ad aliquod malum descendunt. Ergo videtur quod non fuerit conueniens, Christum ad inferos descendere.

2. Præterea. Descendere ad inferos, non potest Christo conuenire secundum diuinam naturam (quæ est omnino immobilis) sed solum conuenire potest ei secundum naturam assumptam. Ea vero quæ Christus fecit vel passus est in natura assumpta, ordinantur ad humanam salutem, ad quam non videtur necessarium fuisse, quod Christus descenderet ad inferos quia per passionem suam, quam in hoc mundo sustinuit, nos liberauit à culpa, & pena, vt supra dictum est. Non igitur fuit conueniens, quod Christus ad infernum descenderet.

3. Præterea. Per mortem Christi separata est anima à corpore eius, quod quidem in sepulchro positum fuit: vt supra habitum est. Non autem videtur quod secundum animam solam ad infernum descenderet: quia anima, cum sit incorporea non videtur, quod localiter possit moueri: hoc enim est corporum vt probatur in sexto physice. descensus autem motum corporalem importat. Non ergo fuit conueniens, quod Christus ad infernum descenderet.

Sed contra est quod dicitur in Symbolo. Descendit ad inferos. Et apostolus dicit Ephes. 4. Quod autem ascendit, quid

Glo. inter ib. dit, quid est nisi quia, & descendis primum in inferiores partes terra: gl. id est, ad inferos.

Respondet dicens, quod conueniens fuit, Christum ad infernum descendere. Primo quidem: quia ipse venerat poenam nostram portare, ut nos a poena eriperet; secundum illud Isa. 53. Vere languor: nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ex peccato autem homo incurreret non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. Et ideo sicut fuit conueniens cum mori, ut nos liberaret a morte: ita conueniens fuit, eum descendere ad inferos, ut nos a descensu ad inferos liberaret. Vnde dicitur Ose. 13. Ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne. Secundo, quia conueniens erat, ut victo diabolo per passionem victos eius eriperet, qui detinebantur in inferno secundum illud Zachar. 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti victos tuos de lacu. Et col. 2. dicitur. Expolians principatus & potestas, es, traduxit confidenter. Tercio, sicut potestatem suam ostendit in terra, viuendo & moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando, & illum nando. Vnde dicitur in Psal. 23. Attollite portas principes vestras, quia vique nunc homines non inferno derelinquitur: & sic in nomine Iesu omne genus statuitur, non solum celestium, sed etiam inferorum, ut dicitur Philip. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen inferorum sonat in malum poena. non autem in malum culpa. Vnde dicitur Christum in infernum descendere: non tanquam ipse esset debitor poena, sed ut eos qui erant poena obnoxij, liberaret.

Ad secundum dicendum, quod passio Christi fuit quasi quadam causa vniuersalis humane salutis, tam viuorum, quam mortuorum. Causa autem vniuersalis applicatur ad singulares effectus per aliquid speciale. Vnde sicut virtus passionis Christi applicatur viuentibus per sacramenta configurantia nos passioni Christi, ita etiam applicata est mortuis per descensum Christi ad inferos. Propter quod signanter dicitur Zachar. 9. quod eduxit victos de lacu in sanguine Testamenti sui, id est, per virtutem passionis sue.

Ad tertium dicendum, quod anima Christi non descendit ad inferos eo genere motus, quo corpora moventur, sed eo genere motus, quo Angeli moventur, sicut in prima parte habetur.

COMMENTARIUS.

Quamuis D. Th. in articulo sequenti ad doctrinam exacte tradendam distinguat duplicem descensum: alterum secundum virtutem, seu effectum: alterum secundum essentiam, seu realem praesentiam simpliciter tamen ac proprie loquendo, descensus significat localem mutationem, quae ad realem praesentiam, seu existentiam in inferiori loco terminatur. Et de hac intelligendus est titulus huius articuli, atque de eadem futurus est praecipuus sermo in tota hac quaestione.

Respondet igitur D. Thomas, affirmando conueniens fuisse Christum ad infernum descendere: & in argumento, sed contra, probat ita factum esse: in articulo vero tres adducit rationes conuenientie. Prima est, quia Christus venit, ut susciperet nostram poenam, ut ab ea nos liberaret: homo autem in peccati poenam descendebat ad inferos, & ideo oportuit Christum illuc descendere, ut eo descensu nos ea poena liberaret, sicut suscepit mortem, ut mortem interficeret. Quia ratio duplicem habet difficultatem. Prima est, quia collectio D. Thomae non est in vniuersum bona, alioqui oportuisset etiam Christum suscipere purgatorij, & inferni cruciatum. Secunda est, quia assumptio solum procedit de poenis, pro quibus Christus potuit satisfacere: descendendo autem ad inferos non satisfecit pro nobis, non fuit ergo propter eam causam necessarium

ad inferos descendere. Adde illum descensum Christi ad inferos non posse proprie vocari poenam, sed voluntariam quandam actionem, quae de se nec tristicium inferre poterat, nec dolorem. Sicut si Rex visitet carcerem, aut xenodochium, illa non est poena. Quo exemplo vtitur Ruffinus in expositione Symboli, inde concludens, Christum fuisse in loco carceris, non tamen sicut alij, quia alij erant ut soluerent poenas: Christus vero ut absolueret. Et idem explicuit optime D. Th. in 3. d. 22. q. 2. a. 1. quaestione. la prima ad primum. Respondetur in primis non fuisse D. Th. mentem, hunc descensum vocare proprie poenam animae Christi: quia reuera non fuit per modum supplicij, nec ad satisfactionem, & propter alias rationes supra insinuat, tamen quia veluti materialiter similitudinem habet cum poena animarum, quatenus ea ratione impedita fuit anima Christi, ne statim in caelestem locum ascenderet, & ad hoc adducta, ut veluti exultaret, & ut in loco maiestatis suae minus proportionato existeret: ideo in hac similitudine cum malo poenae coniecturam suam fundauit D. Tho. Vnde in solutione ad primum recte dicit, Christum descendisse in infernum non tanquam poenae debitorem, sed ut eos, qui erant poenae obnoxij, liberaret. Ex qua solutione etiam intelligi voluit non fuisse conueniens, Christum, praeteritum post mortem assumere quamcumque poenam, vel dolorem nobis debitum: sed solum ea quae ipsum Christum decebant, & quibus se ostenderet euerforem poenae, potius quam debitorem. Quocirca non est eadem ratio de poena purgatorij, vel inferni. Et hoc est, quod vno verbo dixit acutè Caietan. primam rationem D. Th. ex sol. ad 1. complendam esse. Et explicari amplius potest ex solutione ad 2. Decuit enim Christum assumere nostras poenas, quae nobis viles essent vel per modum satisfactionis, vel per modum applicationis satisfactionis iam factae: descensus autem ad inferos, licet non esset satisfactorius, tamen fuit conueniens medium ad applicandum iustis fructum passionis, iuxta illud Zachar. 9. In sanguine Testamenti tui eduxisti victos de lacu. Poena autem purgatorij, vel inferni neque per se nobis erant viles, quia illae non sunt institutae ad satisfaciendum pro alijs, sed ad purgandos, vel puniendos eos, qui eas patiuntur. Neque etiam erant medium ad applicandam satisfactionem Christi.

Ex his satis exposte relinquantur secunda & tertia ratio, quae per se sunt faciles, quanquam si nude sumantur, non videantur probare de descensu locali, sed tantum secundum effectum: sed quia ipsa localis praesentia fuit medium accommodatum ad eos, effectus in inferno praestandos, qui in his rationibus enumerantur, nimirum victos eripere, expoliare principatus, & potestates, eisque suam potentiam ostendere, ac iustos visitare, & illuminare, ideo illis rationibus satis concluditur, etiam localem descensum fuisse conuenientem. Et hoc etiam est quod Caietan. dixit, secundam rationem complendam esse ex solutione ad 2. Quae amplius etiam roboranda est ex ijs, quae articulo sequenti. D. Thom. tradit.

Solutiones ad 1. & 2. iam sunt exposte, in solutione vero ad 3. multa dici possent de motu animae separatae, quae omitto, quia philosophica sunt. Non poterimus tamen non attingere aliqua disputatione sequenti.

Vltimo obseruare oportet D. Th. in hoc articulo multa Scripturae loca exponere, quae nunc omitimus, quia sequenti disputatione expendenda sunt.